



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Joannes XXII. Dictus XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1410.

que Sexus, ac aliis Constitutionibus contrariis quibuscumque. Datum Pisis 4. Id. Octob. Pontif. anno primo.

JOANNES XXII. DICTUS XXIII.

PONTIFEX CCIX.

ANNO DOMINI MCDX.

Ioannes qui ultimus hujus nominis temere Pontificatum iniiit, nempè quum legatus à latere à Prædecesfore suo Bononiam mitteretur, conducto milite eam cum magnâ Flaminia parte in potestatem Ecclesiæ redegit, tum Alexandro defuncto Cardinalibus convocatis ipse militibus stipatus vi Petri Clamydem sibi imponens *Papa*, ait, *sum ego*. Demum à Concilio Constantiensi cum aliis Schismaticis Pontificibus Pontificatui suo renunciare coactus fuit; sedit annos quinque. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1527. Tom. I. fol. 287. App.*)

I.
Ex histor. univ. Parisiens. Bullæ Tom. 5. pag. 204.

Revocatoria Bullæ Alexandri V. Prædecessoris de Privilegiis Mendicantium propter turbas in Clero Gallicano obortas: ann. 1410.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

In Apostolicæ sedis specula licet immeriti disponente Domino constituti ad procurandum cunctis Christi fidelibus pacis commoda libenter intendimus, eorumque scandalis quantum possumus, obviamus. Dudum siquidem cum querela dilectorum filiorum Fratrum ordinum Prædicatorum & Minorum, nec non Eremitarum S. Augustini, ac B. Mariæ de Monte Carmelo ad felicis recordationis Alexandri Papæ V. Prædecessoris nostri pervenisset auditum, quod nonnulli Clerici & Ecclesiasticæ personæ ac utriusque Sexus homines certos articulos quos iidem fratres dicebant erroneos tangentes materiam Clementinæ *Dudum* in præjudicium ipsorum fratrum astruere publicè præsumebant, præfatus Alexander Prædecessor 4. Id. Oct. Pontificatus sui An. I. per suas certj tenoris litteras quæ incipiunt, *Regnans in excelsis* certo modo super hoc providit, ac disposuit prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem prout nuper nobis qui dicto Alexandro Prædecesfore sicut Domino placuit sublato de medio, fuimus divinâ favente Clementia, ad apicem summi Apostolatus assumpti, non sine gravi mentis turbatione innotuit in diversis mundi partibus inter alios Christi fideles, ac Episcopos fratres occasione publicationis dictarum litterarum magna scandala sint exorta, & nisi super his de opportuno remedio celeriter provideatur, majora verisimiliter timeantur in posterum exoriti. Nos super his prout ex debito nobis injuncti pastoralis tenemur officii salubriter providere &

scandalis hujusmodi obviare cupientes, volumus, & Authoritate Apostolica de fratrum nostrorum consilio, tenore præsentium decernimus pro partibus ipsis, nec non rebus, juribus & causis, de quibus in eisdem litteris fit mentio, in eodem statu per omnia remanentibus prout erant ante confessionem dictarum litterarum, prædictæ litteræ ac processus habiti per easdem, & quæcumque inde secuta ex nunc in antea, perinde habeantur ac si litteræ, ac processus hujusmodi nullatenus emanassent. Districtius inhibentes ne quis in posterum dictis Prædecessoris nostri litteris uti, aut earum authoritati, vel vigori inniti præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præsumperit, &c.

Datum Bononiæ 5. Kal. Julii Pontificatus nostri anno I.

Parisiensi Universitati indulget, ut Cancellarius Parisiensis possit absolvere Magistros, & Scholares ab omnibus Censuris; & causæ universitatis quæ in Romanâ Curia disceptari solebant, in Curia Episcopali Parisiorum disceptentur: anno 1412.

ANNO
1412.

II.
ibid. Tom. 5. pag. 226. 227.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Joanni de Gersono Cancellario Parisiensi, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum juxta officii nostri debitum conversionem diligamus ab intimis peccatorum, libenter se convertentibus manum porrigimus adjutricem, ac modis quibus possumus, allicimus convertendo, scientes nihil Deo esse acceptius quàm lucrum perquirere animarum. Sanè cum nonnullas personas tam Ecclesiasticas quàm Laicales dilectæ filiæ nostræ Universitatis Parisiensis studii, ac suppositorum ejus diversis peccatis, nec non excommunicationum, suspensionum & interdicti sententijs ac votorum emissorum observantijs innodari contigerit hætenus, sicut accepimus & possit contingere verisimiliter in futurum, & pro absolutionibus, dispensationibus ac votorum commutationibus & aliis in præmissis impetrandis ex multis ingentibus causis personis illis ad Rom. Curiam proficisci reddatur discriminosum quamplurimum, Nos animarum personarum hujusmodi saluti providere salubriter, illasque ad gremium S. Matris Ecclesiæ reducere ac earundem parcere laboribus, periculis & expensis paternaliter cupientes, discretionj tuæ, de qua in his & aliis speciale in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate nostra in foro conscientie absolvendi in forma Ecclesiæ consueta quascumque personas Scholasticas actu Parisius pro tempore studentes de Universitate dicti studii, seu suppositorum ejus usque ad triennium proximè secuturum, si hoc humiliter petierint, à quibuscumque peccatis, excommunicationum, suspensionum & interdicti sententijs in eas à jure, vel ab homine latis, inflictis seu promulgatis etiam illorum absolutio foret sedi Apostolicæ generaliter, vel specialiter reservata, ac pœnis aliis in quas quomodolibet incurrisent, seu incurere poterunt in futurum, dummodo personæ ipse injuriam pacis satisfaciant competenter, ac cum eisdem personis, si Ecclesiasticæ fuerint

super

ANNO
1410.

super Irregularitate quacunq̄, quā sic ligatā celebrando divina, vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum Clavium contraxerint, eis prius ad tempus de quo tibi videbitur à suorum ordinum executione suspensis. Et quod ad omnes sacros Ordines promoveri, ac in illis & in quibuscumque susceptis Ordinibus alias tamen ministrare valeant, dispensandi, injunctis eis pro modo culpæ penitentia salutarī & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ac omnem inhabilitatis & infamiae maculam sive notam per easdem Scholasticas personas præmissorum occasione contractam abolendi, & eas ad quæcumque bona, dignitates tam spirituales quàm temporales, honores, statum, famam, privilegia, exemptiones, beneficia, officia Ecclesiastica, secularia & regularia quæcumque & qualiacunque fuerint, quæ hujusmodi personæ tempore dictarum sententiarum obtinebant, seu ad eas quomodolibet pertinebant, dum tamen Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, seu Abbatiales dignitates non existant; nec non quod tempore absolutionum, dispensationum, abolitionum & restitutionum hujusmodi non fuerit in eis alicui specialiter jus quæsitum & alias in integrum, ac statum pristinum restituendi, reducendi & reponendi, ac etiam auctoritate præfata personis hujusmodi vota peregrinationis & continentiae, ac alia quæcumque, si qua personæ ipsæ, aut earum aliqua hætenus emisissent, aut emittere contigerit, dicto durante triennio, quomodolibet in futurum quæ omnimodo servare non possent, non obstante quod illorum commutatio, aut dispensatio esset præfate sedi specialiter reservata, in alia pietatis opera commutandi, prout secundum Deum ac saluti animarum personarum hujusmodi videris expedire; proviso quod de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, personis ipsis faciendam injungas quam personis hujusmodi facere quantocius teneantur, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem; præsentibus post dictum triennium à data præsentium minime valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum Kal. April. Pontificatus nostri Anno 3. Sic Sig. F. de monte Peliciano, de Curia, Ja. de Hugolinis.

Altera Bulla dirigitur Gerardo Episcopo Parisensi, ut ad triennium causas Universitatis quæ solabant in Curia Romana disceptari, judicet Parisius.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Geraldo Episcopo Parisensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

AD incrementa dilectorum filiorum Universitatis studii Parisiensis & ejus supposito- rum qui in orbe terrarum splendore scientiæ rutilantis emicant, paternis & sollicitis studiis intendentes, & cupientes ut eo perfectius & diligentius studiorum gymnasiis lucubris vigiliis intendere valeant, quo majori privilegio ne distrahantur à loco studiorum ratione causarum, seu litigiorum quæ illis possent quomodo contingere, si extra Parisiensem civitatem ad causas, vel judicia quomodolibet traherentur, fuerint communiti. Et sicut pro parte dictæ universitatis nuper accepimus occasione Beneficiorum Ecclesiasticorum quæ non-

nulli Magistri & alii studentes in dicto Parisensi studio vigore gratiarum per nos factarum illis affecti fuerint extra Civitatem Parisiensem etiam ad Romanam curiam trahuntur in causam, & propterea gravibus tam realibus quàm personalibus prægraventur & affligantur incommodis & à studio vigiliis plurimum distrahantur. Nos ipsorum Magistrorum ac Doctorum in dicto Paris. Studio indemnitate & quieti volentes paterna diligentia providere, Magistris & Doctoribus universitatis Parisiensis studii ante dicti in Rotulo ipsius universitatis inscriptis, super expectativis gratiis per nos signatis & per universitatem ipsam pro præsentibus reputatis, ut pro causis Beneficialibus super gratiis expectativis, eisdem in dicto Rotulo per nos concessis extra muros Paris. trahi non possint, nec debeant quomodolibet; sed quod causæ hujusmodi ibi tractari, terminari atque decidi debeant usque ad totalem & finalem terminum hujusmodi causarum tamortarum quàm quæ movebuntur in posterum usque ad triennium à data præsentium computandum: causis venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium motis & movendis agendo, vel defendendo & ipsos Cardinales, vel eorum aliquem quomodolibet tangentibus, dumtaxat exceptis, auctoritate Apostolica concedimus per præsentem. Et ad hoc quod causæ hujusmodi possint & valeant, auctore Domino, tractari, decidi & omnino ut præmittitur etiam terminari & justitia ministrari, Fraternitati tuæ de qua in his & aliis plenam in Altissimo fiduciam obtinemus, omnes & singulas causas Beneficiales occasione Dignitatum, Personarum, Administrationum, Officiorum & Prioratum & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium & Regularium vigore dictarum gratiarum in præfato Rotulo per Nos factarum quæ dicti Magistri, seu alii in dicto Rotulo denotati fuissent hætenus affecti, sive assequuntur in posterum movendas infra dictum triennium per quascunque personas, loca, Collegia, seu Universitates præfatis Cardinalibus dumtaxat exceptis contra dictos Magistros & alios in dicto Rotulo inscriptos, & pro præsentibus, ut præmittitur, reputatos cognoscendas, decidendas & sine debito terminandas per te vel per alium intra muros dictæ Civitatis Parisiensis etiam usque ad ultimam & tertiam definitivam sententiam inclusive, & etiam quotiens ante definitivam sententiam contigerit appellari cum omnibus suis incidentibus, dependentibus & connexis harum serie delegamus, faciens quod decreveris per te vel per alios & præsertim per Censuram Ecclesiasticam appellatione cessante firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore substraxerint, per Censuram eandem, appellatione cessante compellas per te vel alios, ut præmittitur, veritati testimonium perhibere.

Datum Romæ Apud S. Petrum Kal. April. Pontificatus nostri anno 3. Sic Sign. F. de Montepoliciano, De Curia, Joan. de Bortzolle.

ANNO
1410.

ANNO
1412.III.
Ex Mem. du
Clergé de
France Tom.
I. pag. 484.

Archiepiscopis quibuscumque edicit Concilio-
rum Provincialium celebrationem singulis
triennii an. 1412.

JOANNES EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad futuram rei
memoriam.*

IN cassum Sacrorum decreta, Canonum le-
ges, ac plebiscita antiquis fuissent ordinata
temporibus, si illorum executio cum se casus
ingesserit, negligatur; hinc est quod nos sta-
tutum felicitis recordationis Innocentii Papæ
III. prædecessoris nostri in generali Conci-
lio, de celebrandis per Metropolitanos Pro-
vincialibus Conciliis, multis tamen neglectum
temporibus in generali Pisano Concilio in-
novatum, diligenter cupientes observari;
statuimus, ut singuli Metropolitani qui hu-
jusmodi statutum negligentes, per triennium
Provinciale miserunt celebrare, à Pontificali
Officio, nec non omni exercitio jurisdic-
tionis Ecclesiasticæ per se vel alium, sint ipso
jure suspensi, eorumque Jurisdictio Ecclesiasti-
ca, & illius liberum exercitium ad capitulum
illius Metropolitanæ Ecclesiæ devolvatur, ac
devoluta persistat, omniaque & singula emolu-
menta jurisdictionis ad ipsum capitulum perti-
neant, in publicum illius Ecclesiæ, non singula-
rum personarum vel officiorum utilitatem con-
vertenda, donec Metropolitanus ipse realiter
hujusmodi congregaverit Provinciale Concilium.
Si vero dicto tempore durante Metropolitanus
ipse exercitio dictæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ,
per se vel alium se immiscuerit, aut capitulum
impediverit in præmissis, ipso facto sententiam
excommunicationis incurrat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-
ginam nostræ Constitutionis infringere, vel ei
ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit in-
dignationem Omnipotentis Dei & Beatorum
Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit in-
cursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum quinto
Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO
1417.

MARTINUS III. DICTUS V.

PONTIFEX CCX.

ANNO DOMINI MCCCXVII.

Martinus Romanus prius Otto Columna
dictus à Concilio Constantiensi Papa
electus est post Schisma annorum 40. anno
scilicet 1417. Ludovicum Andegavensem
Neapolitanum Regem creavit, hinc ab Al-
fonso Arragonio Benedicti Antipapæ de-
fensore infestatus. Dein Papæ Concilium
indictum Senas transtulit, ubi conclusum,
ut ossa Wiclefi jam 40. an. sepulta, exhu-
mata cremarentur. Tum Basileæ Con-
cilium pro Reformatione status Ecclesiæ
habuit. Obiit anno 1431. (*Magni Bul-
larii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.
1727. fol. 288. App.*)

Bullarium Romanum Continuatio Pars III.

ANNO
1419.I.
Ex Archiv.
Angliæ.
Rimeri
Tom. 9.
P. 766.

Ad Henricum Angliæ Regem super gestu, &
summissione Johannis XXIII. Pseudo-Ponti-
ficis notificatio: anno 1419.

MARTINUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo
Filio, Henrico, Regi Angliæ illustri, sa-
lutem & Apostolicam Benedictionem.*

Divina Providentia, humanas actiones in
melius, ac in Veritatis & Justitiæ iter, in-
effabili sua bonitate, disponens, tanto majoris
dilectionis ardore suæ Clementiæ oculos, in Eccle-
siam suam dirigit, quanto, juxta successus rerum
& temporum, magis suæ ædificationi viderit
expedire, quod & vetera exempla nos edocent.
& diebus nostris in facto Unionis Ecclesiæ pos-
sit manifestus apparere.

Nuper enim cum Baldassar Cossa; olim
JOHANNES XXIII. in sua tunc obedien-
tia nuncupatus quem assignari nobis debere Con-
cilium Constantiæ decrevit, per quosdam à
nobis deputatos, ad nos humanissimè duceretur
applicans ad Castrum Felini Parmensis Dice-
cesis timore concepto ad carceres duceretur,
quod tamen veritate carebat nostris tempore
fugiens divertit ad Sarzanam, oppidum, ami-
cissimo sibi Duci Januæ subiectum.

Ubi benignè susceptus, & de veritate certi-
ficatus, receptis etiam à nobis, & à communitate
Florentinorum salvis conductibus, sponte, &
sine mora iter arripuit, & hodie, Florentiam in-
trans priusque alio diverteret, ad nos, in gene-
rali Consistorio astantibus Venerabilibus Fratri-
bus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali-
bus, sedentes, ac Prælatorum, aliorum specta-
bilium, & insignium virorum multitudine cir-
cumfusa, suppliciter venit, ac cum omni humilitate
& laudabili devotione prostratus ante pe-
des nostros, cessionem, ac renunciationem, quas
diu ante nostram assumptionem fecerat, sponte
& liberè ratificans atque approbans.

Nos verbo factoque in Romanum Pontificem,
ac in universalis Ecclesiæ sponsum indubiatum
& unicum recognovit, propter quæ est meritò
commendandus.

Hæc itaque contigisse, non hominum Consi-
lio, sed inexhaustæ incomprehensibilisque, di-
vinæ providentiæ ordini, cuncta suis locis &
temporibus disponentis ascribendum esse cen-
semus.

Quæ tuæ serenitati significare decrevimus ut
hujus rei sentias veritatem, qui pro unione in
Ecclesia Dei feliciter consummata, multos labo-
res, multaque expensarum onera subivisti.

Datum Florenc. XVIII. Calendas Julii Ponti-
ficatus nostri anno secundo.

Confirmatio altera foundationis Capellæ, quam
juxta Ecclesiam Genevensem erexerat Joannes
de Brogniac Cardinalis Episcopus Hostiensis;
quam etiam prius confirmarat Benedictus
XIII. ex bulla mox sequenti.

MARTINUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.*

Tunc injunctum nobis desuper Apostolatus
officium peragere dignè non ambigimus,
dum Apostolicis prosequimur ea favoribus, quæ

II.
Ex Archivis
Capitul.
Genevensis.

Ff

Divini